

istis iam sopitis, in libro, quem *Theauri* inscripsit nomine, & ex Praetorio passim compilavit, sententias, non unas, Weigelianismum sapientes, proposuit. Perfectionismum namque passim incrustare videbatur, & unionem hominis credentis cum Christo essentialem facere. Male haec habuere Ordinem Sacrum, qui tum diviniora oracula in illa urbe profitebatur. Neque enim ante cum Statio habere volebat aliquid commercii, quam retractationem sententiarum institueret. Conabatur quidem Martinus sua asserta τῆ ὑποτυπώσεως ὑγιαίνόντων λόγων conformiter interpretari, in *Resolutione*, quam nominabat, *censoe* A. cl. l. c. XXXVII. editae. Sed cum videret, in eadem multa a Collegis desiderari, retractationem ingenue ore calamoque praestitit, quam adeo etiam suo sigillo, in maiorem rei fidem, obsignavit. Effectum est hoc imprimis opera & studio Abrahami Calovii. Nescio autem, quid causae habuerit Phil. Iacobus Spenerus, in *der Ubereinst.* P. I. Art. VI. §. XXX. cur de illa Statii retractatione dubitet. Ecceur namque fides deneganda Calovio, qui T. X. Syst. p. 540. eandem commemorat? Vixit is illis temporibus Gedani, & Ordinis Ecclesiastici non infima fuit portio. Huic iungo Hartknochium, in H. E. P. L. III. c. VIII. §. X. p. 816.

§. XLVI. IO. STEPHANVS, medicamentario Gedani a servitiis erat. Hic lectioni Fanaticorum librorum nimium indulgens, in Fanaticismum tandem & ipse prolapsus est. Non modo igitur de immediatis gloriatus est revelationibus, sed & illam mente concepit opinionem, *se Deum & Christum esse, omniaque ex gratia habere, quae Christus ex natura habuit.* In more illi constitutum homines habent, loca subinde mutare, & in alias regiones secedere. Fecit id etiam Stephanus noster, qui, Gedano relicto, in Holsatiam abiit. Non tamen diu ibi substitit, sed non multo post Gedanum reversus est. Tum emendare iuvenem, erat namque annos modo natus XXIII. allaboravit Bucherus, ὁ μακαρίτης, cui animae commiserat curam. Ast tantum aberat, ut monitis rectoribus subscriberet, ut potius viro, de se bene merito, indignius insultaret. Convenere igitur auctoritate Senatus, nonnulli ex Theologis Gedanensibus, qui-